

Thomas Lindemann Bogislaus Philipp Chemnitz von

Theses De Necessaria Defensione

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730918580>

Druck Freier  Zugang



Notwendigkeit der Verteidigung

Lindemann - Chemisches, ^{Vert.} Pa
U. R. J. Nr. 1624.

THESES
DE
NECESSARIA
DEFENSIONE

79

Quas

SECUNDANTE

Summâ Summi Numinis

BENIGNITATE

SUFFRAGANTE

Amplissimi 7ctorum Ordinis

In Almâ Rosarum

AUTORITATE

SUCCURRENTI

DN. THOMÆ LINDEMANNI

J.U.D. Antecessoris & Professoris primarij,

Affinis, Præceptoris ac Fautoris mei nullo non tempo-
re, non loco, reverenter observandi

PRÆSIDIO

Pro viribus defendere conabor

BUGISLAUS PHILIPPUS CHEMNITIUS

In Auditorio majori horis antepomeridianis consuetis

die 17. Aprilis.



ROSTOCHI

Excudebat Joachimus Pedanus, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIV.

1624



REVERENDA DIGNITATE
ANTIQUA NOBILITATE
'MULTIPLICI RERUM SCIENTIA
& *Experientiâ præstantissimo.*

DN. ÆGIDIO von der Lancken/
Cathedralis Ecclesiæ Lubecensis Præposi-
to, ILLmi Sleswic. Holsat. Principis FRIDERICI
intimo Consiliario, Chiloniensi & Bordes-
holmeni Præfecto,

Patrono meo Magno

Has studiorum meorum primitias,

meq; unâ,

Consecro, Dedico,

Bugislaus Philippus Chemnitijs.





Cognationem, quam natura inter nos homi-
nes constituit, quâq; omnes invicem de vinxi-
l. 3. De l. & l. tantum abest, ut beneficijs, qui-
bus affici hominem, interest hominis l. 7. De serv. exp.
conseruare inter se pleriq; studeant, ut omni potius
conatu, manibus pedibusq; violare eam nitantur, ac
nefario ausu alijs nocere non exhorrescant. Licet
enim corrupta natura nostra, in alia etiam vitia,
præcep̄ labatur, ac ruat Nov. 5. c. 2. §. 2. In nulla ta-
men magis, quam hoc, quo quis iracundia sua, &
animo ad vindictam pronò frenum laxans, alte-
rum malignè inuadit, & offendere conatur. Te-
stantur id innumera, & indies occurrentia exem-
pla. Juris igitur illa pars, quæ nobis aduersus in-
jurijsorum huiusmodi insultus, defensionem per-
mittit, imò præcipit, non immeritis, à præclaris qui-
busq; Themidos mystis, ornatur elogijs. Quam
& nos in palastram deducturi, ad rem ipsam accin-
gimur, totamq; cum offensionis, tum defensionis
materiam, breuib; aliquot positionibus, ceu can-
cellis quibusdam, includemus. Tu, alme Deus,
suffice vires, quo ea, quæ præstituimus, ad bonum,
quem speramus, quem optamus, exitum perducere
sufficiamus.

Positio I.



T autem ab eo progrediamur, unde omne meritò ducitur exordium: Defensionem definimus, actum, quo alicujus, nos, nostraq;, vel alterum ex improvisò invadentis vim, contrariâ vi repellimus.

I.

Violentia hæc ut omnium calculo damnata, sic defensio contra eandem, nullo non jure, naturali, gentium, civili, canonico permessa, imo injuncta.

III.

Hinc illa inter nostros disceptatio: Quonam hæc defensio respectu juri naturali, quo gentium, quo civili & canonico sit imputanda? Nos aliorum scrupulosis magis, quam fructuosis discursibus omissis, simplicem ac primam illam se conservandi ac defendendi inclinationem juri naturali tribuimus *Clem. pastoralis De sent. & re jud. Cic. pro Mil. quam & brutis competere videmus, l. 1. §. 11. si quadr. paup. Cic. 1. off.*

IV.

Justam verò illam, ac certâ ratione moderatam, certisq; circumscriptam finibus propulsationem, juri gentium ferimus acceptam: Nec illorum toleramus errorem, qui moderamen inculparæ tutelæ ad jus civile ita referunt, tanquam ab Imp. *l. 1. C. unde vi.* primum introductum: Cum ejus non exigua exstent in digestorum libris vestigia.

V.

Hanc tandem defendendi rationem jus civile ac canonicum comprobavit, auxit, ac magis magisq; explicatam reddidit.

Hæc-

VI.

Haecenus de efficiente remotâ, jure scilicet, ex quo resultat defensio: Efficiens propinqua est, prava ad nocendum offensoris intentio, & ipsa offensio, sive insultus ab eo factus.

VII.

Offensio illa vel publica est vel privata. Publica patriæ, quæ si offendatur, succurrere ei tenemur, & quoquo modo poterimus, hostes repellere: Adeo ut si filius hoc casu Patrem, aut Pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio afficiendam omnes constituerint *l. 35. De rel. & sumt. fun.* Quod tamen, nisi in ipso actu sint offensionis, & per alium, commodè patriæ succurrî nequeat, non admittimus.

VIII.

Privata est vel personarum, idq; tam propriæ quam alienæ, vel rerum sive bonorum, vel famæ & existimationis. Pro quarum omnium defensione resistere licere, in confesso apud omnes; sed num etiam cum cæde inuasoris semper & indistinctè, non una omnibus sententia.

IX.

De personâ alienâ in dubium revocant, rem minimè dubiam in communi quidem Dd. scholâ, novatores quidam: Nos distinctione rem expedimus. Persona alia conjuncta est nobis, alia extranea: Conjungitur nobis vel ratione superioritatis, vel affectionis, vel reverentiæ.

X.

Ratione superioritatis Dominum servus defendere tenetur, etiam cum propriæ vitæ discrimine. *l. 1. §. 28. Ad Syl-lan. l. ult. C. de his quib. ut ind.* Quod in hodiernis famulis non ita obtinet. Similiter ad servum tuendum, quantum sine proprio periculo possit, Dominus obligatur.

XI.

Subditus item Principi suo defensionem debet: Ut
 e contra subdito Princeps protectionem.

XII.

Vasallus idem Domino præstare tenetur, eumq; , etiam
 in prælio, defendere *pr. 2. FF. 28.* Sin minus fecerit, feudo
 privatur. *c. un. v. ult. 2. FF. 39.* Num autem contra Patrem?
 Cum illis transimus, qui distinguunt, an justè Dominum Pa-
 ter oppugnet, an injustè. Hoc casu affirmamus: Juravit
 enim fidelitatem adversus omnes, excepto Imperatore vel
 Rege, *c. un. 2. FF. 7.* Et sic mitigandus textus in *c. un. v. fin.*
2. FF. 28. non detruncandus. Illo casu negamus: Juramen-
 tum enim non est vinculum iniquitatis, nec obligat nisi ad
 honesta *c. un. 2. FF. 6. c. 1. De jurejur. in 6.*

XIII.

Sic & milites Ducem suum ab hostium insultu protege-
 re debent: Quem si deseruerint, & ille occisus fuerit, capite
 puniuntur. *l. 3. §. ult. l. 6. §. pen. & ult. De re mil.*

XIV.

Hi tamen omnes. subditus pro Principe, vasallus pro
 Domino, pro Duce miles, incerto saltem, veluti dubio belli
 eventui, & fortunæ aleæ, non certo omnino, nullaq; ratione
 evitando periculo subicere se tenentur: Nisi forsan peculia-
 riter & expressim ad hoc obligati fuerint.

XV.

Affectio, de quâ dictum, oritur vel ex communione
 sanguinis, vel familiaritatis & conversationis.

XVI.

In illâ, quæ ex communione sanguinis, primas tenet na-
 turalis Parentum erga liberos, & vicissim *seorsim*: Ex quâ quin
 alteri alterum defendendi jus competat, non dubitamus.
 Textus in *l. 1. §. 4. De sic.* Suadet hoc enim natura: Cum
 contra

contra naturales stimulos faciat, qui curam bonorum, ne-
dum vitæ protectionem, liberis denegat. *l. 36. §. 1. De exc.
sut.* Suadet hoc ratio: Pater enim una cum filio persona in-
telligitur *l. ult. C. de imp. & al. subst.*

XVII.

Quod dictum: Ad emancipatos, naturales, spurios ex-
gendimus: Nullam enim differentiam agnoscit hac in parte
natura. *l. 12. §. ult. v. non item De accus. Nov. 89. c. 1. pr.*

XVIII.

Proximus patrio affectus maritalis: Qui & ipse ad de-
fensionem uxoris, quæ est pars corporis ipsius *c. admonere
32. q. 2.* maritum impellit: Sed & contra uxor rectè defen-
dit maritum. Quod in uxore, idem in sponsâ statuimus per
l. 16. De sponsal.

XIX.

Sequuntur in ordine cognati remotiores, quos & ipsos
defensos esse, nostrum interest *l. 1. §. 2. & l. sequ. De lib.
causâ l. 11. pr. De accus.* Exemplum huc refer Abrahami *Gen.
24. §. 14.* quin hoc casu concessa olim Judæis vindicta *Num.
35. §. 19.*

XX.

Affectio ex familiaritate orsum trahens, est inter itine-
ris socios: Quorum uni facta injuria, ad alterum pertinet *gl.
l. apud Labeonem. 15. §. tenetur. 19. v. eorum quem. De injur.*
Inter amicos etiam, non quosvis tamen, sed illos, quos gra-
phicè describit Jctus Paulus, *l. 223. §. 1. De V. S.*

XXI.

Ratione reverentiæ, Præceptores à discipulis, ab alum-
nis nutritores sunt defendendi: Debetur enim illis reveren-
tia, perinde ac Parentibus, non tanta tamen, nec ab ipsâ na-
turâ scaturiens, sed institutione & educatione acquisita.

His

XXII.

His singulis personis quo arctiori nexu astringimur, eò majora illorum causâ pericula subeunda: Ut autem propriam etiam vitam, in certum discrimen conjicere, nosq; ipsos præsentî morti objicere teneamur, eoq; omisso simus plectendi, non asserimus. Laude dignum hoc forsan in quibusdam personis, velut liberis, si fiat: Nec panâ tamen, si non fiat.

XXIII.

De conjunctâ personâ hucusq; satis, in extraneâ plus dubij: Ubi iterum distinctionis fâdere dissidium autorum pacamus. Aut certo exitio, incertove fortunæ eventui vitam nostram committere necesse est, nec alterius incolumitatem nostrâ præponere obstricti sumus: Ordinata enim charitas incipit à seipso *arg. l. 6. C. de serv. & aquâ c. si non licet 23. q. 5.*

XXIV.

Aut id facere sine propriæ vitæ periculo possumus, & tenemur etiam extraneum defendere, non repellendo aggressorem modò, sed & occidendo. *l. 6. C. de vi c. dilecto De sent. excomm. in 6. c. fortitudo. c. non in inferendâ* (ubi firmissimum argumentum à dicto Salomonis *Prov. 24. S. 11.* & factò Moylis *Ex. 2. S. 12.* de promptum) *cum c. sequ. & c. ult. 23. q. 3. c. quanta 47. De sent. excomm. c. sicut dignum S. illi etiam De homic. D. H. D. art. 150. S. 1.*

XXV.

Defendere extraneos tenemur, non modò si auxilium nostrum implorent, sed & invitos. *arg. l. 6. De appell.*

XXVI.

Sed num obligatio hæc etiam ad panam extendatur, ut, omisâ defensione, quis extra ordinem puniri possit, quaeritur?

tur? Sic multi non de jure modo canonico, sed & civili arguunt, ex *l. 59. & l. 109. De R. J.* à contrario sensu.

XXVII.

Sine vitæ periculo defendere teneri nos proximum nostrum diximus: Bonorum enim jactura nulla tanta potest esse, quæ proximi vitæ conservationem præpedire debeat. *c. non satis 86. Dist.*

XXVIII.

A læsione sive offensione personarum, ad rerum transitum facimus: Quas non justo modo possessori cuiq; suas, defendere licitum *l. 12. §. 1. Quod met. causal. 1. C. unde vi.* Sed & injusto: Nec id modò adversus alium non Dominum, sed & ipsum Dominum, si is sine Judicis autoritate rem propriam ex intervallo invadat. Imo & alienas planè res defendere possumus. *l. 5. pr. C. de metat. l. 12.*

XXIX.

Sed pro solâ rerum defensione alterum interfici posse, licet in rebus alienis, ad defendendum suas, dare damnum non inhibeat. *l. 29. §. 3. l. 49. §. 1. Ad L. Aquil. l. 14. pr. De præscr. verb. l. 3. §. 7. De inc. rui. naufr. negamus constanter, nullâ inter personas, res, aut forum admisâ distinctione: Non enim ulla inter res, viramq; hominis proportio, l. 44. De ad. ed. l. 21. C. de sacr. eccl.*

XXX.

Si tamen res tuas te asserente, & retinere volente, vitam simul alter oppugnet, licitè interficitur: Jam enim non de rerum amplius, sed corporis incolumitate agitur. *l. 52. §. 1. Ad L. Aquil. l. 9. De sic. c. 2. ibi te tuaq; defendendo, De homic.*

XXXI.

Furem igitur interficiendi nulla nobis data potestas, si sine vitæ nostræ periculo parcere ei possumus *l. 9. De sic.* Nec
B fugien-

fugientem cum rebus nostris lædere aut prosternere licet
l. 52. §. 1. Ad L. Aquil. Nec retinentem violenter res nostras
ablatas, nobis extorquere illas iterum conantibus occidere,
modo nulla signa det offensionis.

XXXII.

Non tamen idem in diurno ac nocturno fure: Illi, nisi
apertè offendendi animum prodat, parcendum: Huic etiam-
si in nos non invehatur armis, modò de fugâ luculenter non
pateat, mors rectè infertur: Nescitur enim ad furandum, an
occidendum venerit, & in dubio posterius præsumitur. In
diurno verò facilè id discernitur. *Ex. 22. §. 2. c. perfodiens.*
De homic. l. 4. §. 1. Ad L. Aquil.

XXXIII.

Post personarum ac rerum offensionem, sequitur famæ
sive honoris: Qui læditur cum facto, tum verbis. Facto,
ut stupro violento, idq; in propriam personam, vel uxorem,
filiam, &c. committitur. Utrobiq; autem infranatam stu-
patoris libidinem mortè impanè retundi juris est *l. 8. §.*
pen. Quod met. causa l. 1. §. pen. De sic. Paulus l. 5. sent.
cod.

XXXIV.

Verbis & convitijs si à quodam proscindamur, ob id
convitiatorem interficere non possumus: Cum non judi-
cialis modo defensio, injuriarum scilicet actio, sed & extra-
judicialis, retorsio super sit *l. 14. §. 6. De bon. lib.*

XXXV.

Interim si disparitas sit, inter injuriatum & injuriantem,
& ille persona alicujus dignitatis, vilis hic conditionis homo,
ut & retorsione indignus videatur, & Judex de injuriâ aditus
fortè sit positurus rem in derisum, alapam etiam injurianti
rectè infligi putamus.

Post

XXXVI.

Post absolutam causam efficientem, ordo postulat, ut ad materiam recto pede nos conferamus: Materia autem defensionis est, cum illa persona, quæ alteram injustè aggreditur, tam illa etiam, quæ contra violentum aggressorem se defendit. Videamus igitur, cui offendenti licitè resistamus, cui non.

XXXVII.

Imprimis autem illa sit nostra generalis conclusio: Adversus omnes, cujuscunque status, aut conditionis illi sint, injustè ac sine ullâ causâ invadentes competere defensionem.

XXXVIII.

Nec ulla invadentis majestas, autoritas, aut reverentia inhibere potest quo minus quis facultate omni jure sibi concessâ utatur: Non enim Imperatorem, aut alium Principem supremum excludunt Dd. Nos verò occidere illos, ob publicam utilitatem, licere regulariter negamus.

XXXIX.

Vasallo, licet Domino suo reverentiam debeat & auxilium *c. 1. in fine 2. FF. 28.* adversus Dominum defensionem non denegamus.

XL.

Non similiter defensionem hanc impedit, si is, qui in me irruit, propositum aut animum nocendi non habeat, modo ipsi facto insit injustitia sive injuria. Ipsi certè facto inesse oportet, alioquin etiam juris executoribus, justè resistere queamus: Quod absurdum.

XLI.

Hinc bruta, furiosos, dormientes noctambulones etiam

cum eorum cæde repellere possumus : Licet enim animum offendendi non habeant, nec injuria propriè sic dicta in eos cadat activè. *l. 1. §. 3. si quadr. paup. l. 3. §. 1. De injur. §. 8. De injur. stip.* Latius tamen sumtâ injuriæ voce, pro omni illo, quod non jure fit, etiam naturali *l. 1. pr. De injur.* rectè eos injustè agere, & injuriam inferre dixeris, cum contra præcepta juris naturalis moventur: Quo, ut justum est se defendere, ita offendere alios, injustum.

XLII.

Quin, quod amplius, ad propriæ vitæ conservationem, etiam innocentem, non ullâ in re, vel leviculâ nos offendentem, periculo subjicere & interimere concessum.

XLIII.

Si enim aliter quis tueri se nequeat, nisi adversarij armis innocentem, ceu clypeum, objiat, vel si adversarium alio quodam innocente se protegentem, nisi illo prostrato, ferire non detur, licitum utrumq; illi, non dubitamus; Modo non directâ innocentem lædendi, sed se protegendi, vimq; adversarij propellendi intentione id fiat.

XLIV.

Sed si quis à superiore suo, velut subditus à Principe, à Domino servus, alterum occidendi sub comminatione mortis acceperit mandatum, num parendum potius, quam vitæ subeundum discrimen, in quæstionem venit? Distinguiamus: Aut mandator jus habet interficiendi, & quidnâ idem habeat mandatarius? Aut non habet, & quomodo hic salvâ conscientia obedire posset? Quin ipse talia mandans, si mandatum injustum exequi detrectanti, vim inferre paret, præveniri etiam & interfici potest, quando ex illius invasione certum imminet exitium.

XLV.

Si verò illum, qui mandavit, invadentem expectare,
aut

aut non invadentem prævenire, minimè consultum sit, sub-
distinctione res enodanda: Aut è vitæ periculo sine perpe-
trata cæde, vel fugâ, vel alio quovis modo, subducere, se quis
potest, & tunc innocentem occidere jussus, si pareat, excu-
satus non erit.

XLVI.

Aut in tali est vitæ discrimine, ut mortem, non, nisi in-
nocentem evitet, evitare possit, & alter potius quam ipse
pereat.

XLVII.

Quod ultimo loco dictum, de jure canonico, & in foro
conscientiæ vix procedet: Contra enim expressè faciunt *c.*
quisquis metu. c. nolite timere c. qui justus §. idem 11. q. 3. c. ita
ne 32. q. 5. c. sacris. De his quæ vi met. causa. Exemplum
etiam militum Christianorum sub Juliano stipendia meren-
tium *c. Julianus. c. Imperatores. §. Julianus 11. q. 3.*

XLVIII.

Primo axiomati, quod satis hæctenus illustratum, alte-
rum adjungimus: Ubiq; nulla propriè violenta offensio,
sed juris tantum executio, defensio nullo modo permessa
est. Dispiciamus igitur, quibusnam personis illa juris execu-
tio sit data: Quod factum cum publicis, tum privatis,

XLIX.

Publicæ illæ personæ sunt Magistratus & Judices, eo-
rumq; ministri, tum alij etiam, quibus vindictam de scele-
ratis sumere, ac justitiam exequi concessum.

L.

Judici si justitiæ tramiti rectâ insistat, & officij sui partes
exequetur, resistendum non esse in confesso est *l. 3. §. 1.*
Quod met causa. l. 13. §. 1. De injur.

L I.

Sin contra jus, vel supra & extra officium quid faciat, distinguimus. Aut extrajudicialiter id facit & quidni vim ejus, nullâ ratione fultam, nullo prætextu velatam, repellamus? Cum habeatur instar privati. Aut in judicio, & tunc vel non manifestò constat, num contra leges vel officium processerit: aut notorium hoc ipsum.

L II.

Illo casu non resistendum, ne ansa præbeatur seditionibus & tumultibus, & judicia fiant elusoria: Pro Judice etiam præsumtio juris militat *l. 2. ibi quod non arbitramur. C. de off. civ. jud. l. ult. v. & licet C. ad L. Jul. repet. c. in præsentia De renunc.* Et rei judicatæ autoritas *l. 65. §. 2. Ad Trebell.*

L III.

Appellandum igitur erit, si possit appellari: Judice autem, non attentâ provocatione, in executione pergente, Officiales & Assessores resistere, & si aliud facere non possint, protestando contradicere debent, ni multam incurere malint *l. 21. C. de appell. l. 33. C. de decur. l. 10.* Sed & ab ipsâ parte rectè resistitur, modò legitimè appellatum esse notoriè constet *arg. l. 7. De vi publ.*

L IV.

Sed & si dubium sit, num causa vel persona jurisdictioni Judicis sit subjecta, comparandum nihilominus, ut eâ de re cognoscatur. *l. 5. De jud. l. 37. pr. Ad munic.*

L V.

Altero casu, si præcepta Judicis notoriam foveant iniquitatem, impunè non paretur, & exequenti per vim resistere licet: Maximè si tale sit damnum, quod nullâ aliâ viâ reparari queat *l. 1. §. 1. De fer. l. 1. §. 2. Quæ sent. sine app. resc.*

resc. l. 2. C. quando prov. non est nec. Quod tamen ad evidentiam facti, sive notorium, quod ex facto, non actis colligitur, restringimus.

LVI.

Idem si sine causæ cognitione & ordine judiciario procedat Judex; Nam de facto procedenti, de facto resisti potest.

LVII.

Sed & alijs, injustè damnatum violentâ manu eripere, licere, Dd. tradunt.

LVIII.

Si item notorium, eum supra vel extra jurisdictionem suam jus dicere comparere necesse non est, & per consequens resistere licet *l. ult. De jurid. l. 120. De R. J. l. 53. C. de decur. l. 10. c. ea qua fiunt De R. J. in 6.*

LIX.

Quæ hucusq; de injustâ Judicis erga partem violentiâ propulsandâ, communi & unanimi omnium ferè Dd. consensu comprobata, attulimus: Illa num in ipso foro, ac hodiernâ judiciorum praxi singula observari, ac procedere semper queant, non immeritò forsan quis addabitet.

LX.

Ministri Judicum, apparitores: Adversus quos si suo rectè fungantur officio, defensio locum non habet: Imo resistens illis occidi potest *arg. l. 4. C. de his qui ad eccl.* Nec distinguendum num capiendi sint ob delictum, quod mortis, an quod pecuniariâ pœnâ plectitur.

LXI.

Si is, qui capi debet, quosdam apparitorum vulneret, aut interficiat, dupliciter puniendus, delictum enim delicto cumulat; Modo ex insignibus, aut aliter illi internosci potest.

tuerint. Si fugiat saltem, nec resistat, occidere illum, aut vulnerare apparitoribus non licet, nisi vel talis sit, qui omnium ictibus lege sit expositus, vel illi mandatum habeant, vivum mortuumve adducendi.

LXII.

Sin apparitores præter officium, & mandata, dolo quem malo aggrediantur, non repellendi modò à privatis *l. 5. C. de jure fisci l. 10. l. 5. C. de met. l. 12.* Sed & severissimè à Magistratu in eos hoc scelus vindicandum.

LXIII.

Alijs etiam præter Judicem & apparitores, de sceleroso poenam sumere lege aliquando licet: Idq; vel omnibus generaliter, vel certis tantummodo personis.

LXIV.

Omnibus: puta de transfugà. *l. 3. §. fin. De sic. l. 2. C. quando lic. unic. sine jud.* Vel de illo, qui ad patriam delendam, & Parentes & liberos interficiendos venerit *l. 35. De rel. & sumt. fun.* Vel de agrorum depopulatoribus nocturnis, & latronibus *l. 1. C. quando lic. unic. sine jud.*

LXV.

De bannito seu forjudicato, num idem statuendum sit, controvertitur. De jure communi veteri negamus, cum æquiparentur deportatis, sive illis potius, quibus aqua & igni interdictum.

LXVI.

De jure verò communi hodierno concedimus, offendi bannitum posse: Modo causa banni sit atrocior, qualis est publicæ pacis ac tranquillitatis violatio. *Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. 2. v. sollen des.* Non verò levior, qualis est contumacia in judicio *Ord. Cam. p. 3. t. 43. §. 3.*

LXVII.

At num tales personæ, quos impunè offendi à quibusvis lege

lege aut statuto est dispositum, rectè se defendant, dubium est? Nos in negantem partem imus, ob regulæ nostræ firmitudinem: Ut, enim Magistratui justè exequenti, ejusq; ministris obistere non licet, sic nec illi, qui ejusmodi homines offendit, quod is in locum Magistratus subrogatus censeatur.

LXVIII.

Certis personis concessa est ultio adulterij, ac raptus: Patri namq; datur jus occidendi adulterum cum filiâ, quam in potestate habet: Ut Papinianus respondit *l. 20. ad del. 32. pr. De adult.* Similiter marito adulterum tantum, nec quem vis, sed vilem *l. 24. pr. cod.* Uxorem tamen si calore iracundiæ maritus simul interficiat, extra ordinem punitur *l. 38. §. 8. cod.* Hinc adulterantibus illicita defensio *P. H. D. art. 142. §. so sincer.*

LXIX.

In raptu etiam deprehensum raptorem mulieris consanguinei, tutores & curatores, approbante lege interficiunt *l. 54. C. de de ep. & cler. l. un. pr. C. de raptu virg.* Illicita igitur etiam ex parte raptoris defensio.

LXX.

Hactenus de personis publicis, & quæ publicarum loco habentur: Privatæ, quibus jus suum exercentibus, resistere illicitum, illæ sunt, quæ alios, Parens nempe liberos, maritus uxorem, servos Dominus, discipulos Præceptor, corrigendi ac castigandi jus habent: In quibus si modum excedant, hæc servanda, & observanda distinctio. Aut ab initio armis ad inferendam mortem aptis & destinatis sunt usi, & præsumuntur in dolo fuisse, ideoque ordinariâ pœnâ veniunt plectendi *l. 1. §. 3. De sic.* Aut consuetis ad castigationem usi sunt instrumentis primum, post calore iracundiæ alia sumpserunt, vel vehementius percussere, & puniendi sunt mitius, ceu doli expertes.

C

Et

LXXI.

Et quidem Parentibus, ob vitæ necisq; in liberos arbitrium *l. ii. De lib. & posth. l. ult. C. de patr. pot.* etiam injustam necem inferentibus, resistere, olim non concessum. Hodie verò enormi illà potestate ad pietatis normam amussitatà, modicæ quidem eorum castigationi resistere, nefas liberis: Ut si resistant, acriori castigationi sit locus: Imo si Pater acrius castiget filium sic meritum, isque resistat pertinacius ac violentius, & fortè in ipso actu interficiatur, Patrem pœnâ plecti non posse, concludimus.

LXXII.

Sin castigationis limites excedat Parens, & filius in periculo mortis, aut gravioris offensionis versetur, idque nullis precibus, nullà vitæ melioris promissione avertere possit, fugiendum. Effugio nullo patente, in id incumbendum, ut ictus Parentum avertant: Lædere verò vel interimere, non nisi omni destitutis præsidio, in extremâ mortis necessitate constitutis concedimus: Quod quidem non sine difficultate procedit, defendi tamen contra *Plat. 9. De LL.* ejusq; sequaces poterit.

LXXIII.

Idem in Parente adoptivo statuendum *arg. l. 2. De in jus voc.* cui tamen resistere facilius permittitur: Adoptione enim tantum, & jure civili, non naturâ Pater est.

LXXIV.

Eadem quæ Parentibus in liberos, quondam in servos Dominis potestas fuit. *l. 1. §. 1. De his qui sui vel al. jur.* Et ita idem jus in defensione. Sed illa per Antoninum Dominis ademptâ, hæc servis est reddita.

LXXV.

In hodiernis famulis nostris, qui verè liberi sunt, alia longè ratio: Manet tamen in hos etiam Dominis moderata
cor-

correctio, cui si repugnet, & re ad manus veniente, vulneretur aut interimantur, Domini non tenentur.

LXXVI.

In uxorem etiam marito modica permessa castigatio, cui resistere non debet uxor: Non verò atrocior, ob quam olim etiam divertere licebat *l. 8. §. 2. C. de repud.* hodiè non item. *Nov. 117. c. 14.*

LXXVII.

Sed & propinqui Seniores moderatam habent correctionem *l. un. C. de em. prop.*

LXXVIII.

Præptori similiter modicè castiganti, non resistendum. *l. 5. §. ult. Ad L. Aquil. l. 15. §. 38. De injur.* Aliud si modum non servet, & sæviat nimium. *d. l. 5. cum sequ. Ad L. Aquil.*

LXXIX.

Illud de his personis omnibus notandum: Non eandem ab omnibus illis, sed aliquando majorem, minorem, aliquando, prout major vel minor illis debetur reverentia, tolerandam offensionem.

LXXX.

Forma defensionis consistit in ipsâ inculpatæ tutelæ moderatione, ut vocant. *Imp. l. 1. C. unde vi.* & Pontifex *s. significasti. in fine. De homic.* Defensione autem non uti quem modo posse, sed & teneri, indubitanter asserimus, etiam cum internectione inuasoris *l. 3. De l. & l. l. 12. pr. Quod met. causa. l. 4. l. 5. pr. l. 45. §. 4. Ad L. Aquil. l. 2. 3. 4. C. de sic. c. quia te 50. Dist. c. si vero c. ex tenore De sent. ex. comm. P. H. S. art. 139.* Idq; tam in foro poli, quam fori. Quin *ad Xerejos* crimen contrahere putamus, nec in se modo, sed & republ. peccare, qui alterum lædere dum non vult, propriam salutem negligit

LXXXI.

Adeo autem defendendi hæc facultas omnibus competit, ut nec à supremo Principe, nec consuetudine, aut statuto generaliter in totum tolli, nec cum juramento ei renunciari possit.

LXXXII.

In defensione autem hac, quæ fit legitimè & cum moderamine, tria consideramus; Antecedentia, connexa, consequentia. Antecedentia duo sunt, violentia offensionis, & necessitas defensionis.

LXXXIII.

Antecedit defensionem offensio: Offensio autem imminet vel illata jam est. Ut illatam, de quâ dubium nullum, sic & imminentem propullare licet: Si quis, scilicet, ad offendum se præparet, vel armis ostentatis, aut evaginato gladio minitabundus incurrat *l. 3. §. 5. De vi & vi arm. l. 15. §. 1. De injur.* Quamvis enim alio fine, velut monstrandi arma, ad me cum ijs venire se simulet: Animus tamen nocendi ex incesso, aut habitu corporis, vultusve, alijsq; circumstantijs colligi potest.

LXXXIV.

Non igitur primus adversarij ictus expectandus *D. H. D. art. 140. §. 1. isti auch. l. 5. ibi ferrose petentem Ad L. Aquil. l. 3. ibi ad se venientem l. 4. ibi qui inferenda cadis. C. de sic.* Sed in tempore occurrendum *l. r. C. quando lic. unic. sine jud.*

LXXXV.

An verò ob minas, minantem, quasi defensionis gratia id fiat invadere & occidere licebit? N. sed si justè quis timeat, petat cautionem de non offendendo. Excipimus, nisi alter jam in actu sit exequendi minas, & adsint signa vel argumenta animi confestim nocere volentis.

LXXXVI.

Non satis tamen fuerit, quod minans in more habeat,
execu-

executioni ex tempore mandare minas: Dummodo periculum non sit in mora; veluti, si minans socios expectet, vel præpotens sit, magnoque stipatus comitatu, vel robustus adeo armorumve peritus, ut si ejus præmeditatus expectetur assultus, certam is afferat perniciem.

LXXXVII.

Ut minæ, ita nec mandatum, quod de se occidendo alterum accepisse quis novit, satis est, ut prævenire possit: Nisi periculum sit præsens, ut si quis me præsentem suadeat, aut mandet alteri, ut me interficiat, isque mandatum acceptet, nec effugij ulla pateat via.

LXXXVIII.

Inter antecedentia quoque refertur defensionis necessitas: Quando nimirum quis, nisi se defendat, aliumve vulneret, vel occidat, propriam salutem tueri nequit.

LXXXIX.

Beneficium ergo defensionis non illi tribuimus, qui alium prius invasit, vel causam præstitit offensionis, postea à defensore eò loci redigitur, ut nisi ejus morte, propriam evitare non possit: Si enim defensorem, qui modum defensionis supergressus est, occiderit, etsi ab ordinariâ homicidij poenâ videatur excusandus per *l. 7. §. 1. Quod met. causa.* Extra ordinem tamen puniendus erit, quia cædi dedit occasionem *l. 52. §. 1. Ad L. Aquil.* Si vero defensor limites inculpatæ tutelæ non transgesserit, ordinariâ etiam poenâ afficiendum putamus. per *l. 6. C. unde vi.*

X C.

Sed & illi defensionis titulo factum suum velare non permittitur, qui alteri minanti occurrit cum gladio, licet se subducere in domum vel aliorum tutò possit: Vel qui insidias sibi positas, comprehenso insidiatore, aut aliter vitare cum potest, non vitat.

C 3

Sed

XCI.

Sed an fugere quis tenebitur? Negandum videtur de jure veteri: Leges enim omnes de propulsatione loquuntur, nec ulla fuga mentio: Periculosum est etiam fugere & ignominiosum. Dicendum tamen si sine periculo salutis & honoris fugere quis possit, teneri, ut omnino innoxius sit.

XCII.

Sine salutis dixi periculo, ut non obscure jure etiam civili & canonico innuitur *§. 2. l. Ad L. Aquil. l. 11. pr. l. 45. §. 4. eod. l. 2. 3. C. de sic. §. si hominem 2. FF. 7. Clem. un. De homic. expressè autem P. H. D. art. 140. §. vnd der benötigt § art. 142. §. mehr so fürgewendt.*

XCIII.

Sine honoris etiam minutione dixi: Nec tamen hic illam, inter nationes honoratas & infames, distinctionem ex *l. 31. §. 21. De ad. ed.* exstructam approbamus. Alteram vero inter personas nobiles sive honoratas & vulgares sive plebeas, utpote ipsis imperij constitutionibus fundatam, non planè rejicimus.

XCIV.

Connexa defensionis sunt 1. Commensuratio ejus justa cum offensione 2. Instrumenta & arma, 3. Circumstantiæ loci ac temporis.

XCV.

De primo notanda regula: Propulsationem aggressuram non debere esse atrociorē *c. ut fama in fine De sent. excomm.* Nec majori in defensione utendum vi, quam necesse est ad injuriam arcendam.

XCVI.

Si igitur periculum levioris saltem percussiois imminet, non mortis aut gravioris offensionis (quod ex circumstantijs, & armis præcipuè colligitur) illud morte, aut graviore vulnere propellere minimè licet.

Ob

XC VII.

Ob alapam tamen inflictam, quod de consuetudine hodiernâ pro insigni contumeliâ reputatur, vulnus, id tamen non lethiferum, mortem autem inferre, omnino non licere videtur: Præsertim si nobili vel magnæ dignationis personæ, à vilis conditionis homine impingatur.

XC VIII.

Si item occasione minutæ injuriæ, gravius alicui periculum impendat: Fortè quod adversarium, si hanc patienter ferat, graviores aliam illaturum timeat, vel alij eâ patientiâ ad similia proritentur, vulnerare, imo occidere aliquando licebit: Nec enim modus se defendenti, ita exactè præscribi potest, cum defensor non habeat stateram in manu, nec ad mensuram ictus ac vulnera dentur, & nesciat, quousq; percussor progredi velit. Sed hæc omnia Judicis arbitrio committenda, quod in totâ hac materiâ præcipuè dominabitur.

XC IX.

Instrumenta defensionis ut plurimum sunt arma: Inter quæ vulgò requirunt æqualitatem. Malè, in improvise hoc insultu: Putamus enim licitum adhibere, quæcunq; ad manum fuerint. Satis enim absurdum foret, invasorem, qui præmeditatò advenit & tale armorum genus, quo se commodissimè usurum putet, deliberatò elegit, alterum, cui inopinata & improvise defendendi necessitas incumbit, ad paritatem armorum arctare velle.

C.

Sine armis tamen irruens armis non rectè repellitur *l. 1. §. 27. l. 3. §. 9. De vi & vi arm. c. significasti in fine De homic.* Nisi imbecillis à robusto & audaci, cui viribus par non sit, invadatur: Vel arma ad excipiendum ictus saltem opposuerit, nec alter, licet inermis, terreatur. Jam enim ex hoc audacia ejus satis elucescit.

Sine

C I.

Sine armis autem invadere illum dicimus, cui nulla pla-
nè sunt ad manum: Qui ergò gladio accinctus est, licet
eum non evaginarit, armis insultum facere dicitur.

C II.

Ad circumstantias transitum facimus: E quibus loci
nulla habetur ratio: Nil enim interest in sacro an profano,
publico an privato quis offendatur, ubiq; enim permessa de-
fensio: Ut etiam sacerdos sacra celebrans in vasus rectè se de-
fendat intermissis sacris, & si occiderit adversarium, ad inter-
rupta sacra reverti possit; abstinuisse tamen consultius fuerit.

C III.

Tempus, quod attinet, in continenti, non ex intervallo
fieri debet defensio: Alias ultionem sapit magis, quam de-
fensionem. In continenti autem defensio personæ, rerum
mobiliùm, ac honoris fieri dicitur, si in ipso recenti facto ac
momento offensionis fiat. In defensione immobilium, ali-
quando plus, aliquando minus temporis, Judicis arbitrio
definiendum, indulgetur: Modo ad extraneos actus non di-
scedat spoliatus, sed omne tempus, amicis & auxiliatoribus
conquirendis impendat, *Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. 1.*

C IV.

Consequens defensionis est ejus terminus in quo sistit:
Nempè, quod non ultra offensionem se extendat, sed ea ces-
sante, & ipsa meritò cesset. Si igitur aggressor post vim illa-
tam aufugiat, & alter eum insequens occidat, moderamen
in culpa tutelæ servasse non intelligitur. *l. 7. §. 4. v. planè.
Ad L. Aquil. P. N. D. art. 142. §. oder aber.* Nisi ideo rece-
dat aggressor, ut resumat vires, & in nos acrius resurgat: Quæ
res Judicis arbitrio committitur.

C V.

Neq; in culpa tutelæ modum servasse censemus illum,
qui

qui in pugna superior, & extra periculum jam constitutus,
adversarium interficit *P. H. D. art. 142. §. oder so der Kläger.*

CVI.

Finis defensionis est sui, vel aliorum, vel rerum, vel ho-
noris tuitio: Non ultio, quæ tam de jure civili, quam cano-
nico & in foro conscientie improbat *l. 45. §. 4. ad L. Aquil.*
c. significasti. §. ult. De homic. Hæc tamen inter utrumq; fo-
rum differentia: Quod in foro conscientie Deus, tanquam
solus ἀποδιογνώστης, ipsam animi intentionem dijudicat: In
foro fori Judex actus exteriores, & an servatus sit inculpatæ
tutelæ modus, consideret.

CVII.

Effectus defensionis est repulsio in aforis, sive inde vul-
neratio, sive etiam mors illius sequatur: Licet enim adver-
sario, quoad fieri potest, parcendum sit, si tamén servato mo-
deramine peremerit illum aut vulnerarit defensor, neq; ad
pænam, neq; ad expensas in curatione factas tenetur, nec ob
damnum injuriæ datum *l. 52. §. 1. Ad L. Aquil.* Nec defensor
re sibi ab offensore donatâ privatur tanquam ingratus.

CVIII.

Si in moderamen excesserit defensor, arbitraria pæna lo-
cum habet: Quæ in gravissimo excessu, ubi luculenter de
dolo constat, etiam ad mortem extendenda. *l. un. v. nec ve-
ro C. de em. serv. P. H. D. art. 142. §. nemlich ist.* Neq; enim
omnis & solus iracundiæ calor pænam capitis removet *P.*
H. D. art. 137. §. und ein ander. Alias mitior pæna pro Judi-
cis arbitrio infligenda. In dubio verò in defensione, ut actu
licito, non præsumitur dolus, sed culpa tantum.

CIX.

Nunc de probatione defensionis re non minimi mo-
menti, coronidis loco quadam adjicere, operæpretium vi-
detur, illisq; colophonem huic præsentis materiæ imponere.

D

Qua

Qua in re illud in confesso est; Qui defensionem legitimam, & inculpatae tutelae moderamen praetendit, ei probandi onus incumbere: Occisus quippe regulariter pro se innocentiae habet praesumptionem. *l. 1. C. de sic. P. N. D. art. 141. c. frater. vester. 50. Dist.*

CX.

Ad probationem hanc admittitur reus, etiam si primo homicidium pure confessus sit: Imò etiam si initio negaverit, postea autem de eo convictus sit.

CXI.

Sed quid probandum sit, non convenit inter auctores: Nos sufficere putamus, si probetur, primum insultum ab interfecto fuisse factum, ex hoc enim defensio praesumitur, & quidem necessaria *P. N. D. art. 142. §. so aber der Kläger.*

CXII.

Probatio hae defensionis, quae in modum exceptionis accusatori objici solet, fit cum per testes, tum praesumptiones. Fridericus Imperator duellum adhiberi sanxit *§. si quis hominem. 2. FF. 7. At malè.*

CXIII.

Testes admittuntur hic, alias minus idonei: Domesticus, frater, affinis, amicus, minor viginti annis, famina, imò uxor pro marito, de credulitate vel publicâ famâ deponentes, delictum negantes, licet nullam dictorum reddant rationem. Hi omnes admittuntur, si modo aliter rei veritas haberi nequeat. *Mascard. vol. 1. prob. concl. 489. & 490.* Privilegiata est enim, & maximè favorabilis defensionis exceptio. Defensione autem per unum saltem testem probatâ, mortis pœnam reus evitabit. *Marsc. d. concl. 490. n. 18.*

CXIV.

Praesumptionibus, nisi aliâ probatione deficiente, locus nullus. Et haec sumuntur vel ex ipso facto, vel personarum qualitate: Eaturq; potiores egregiè explicat *P. N. D. art. 143.*

CXV.

In ipso facto attendenda antecedentia, connexa, consequentia.
 Antecedentia: Quisnam habuerit lucri spem ex morte, aut damni
 metum ex vitâ alterius: Quisnam alteri struxerit insidias: Quis cau-
 sam rixæ dederit: Quis minatus fuerit.

CXVI.

Connexa sunt; locus, tempus, vulnera, arma, clamor: Ubi vi-
 dendum, quis gravioribus, & ad nocendum aptioribus armis, præ-
 ter solitum imprimis, instructus fuerit: Majore, quam solitus, co-
 mitatu stipatus: Quis auditus fuerit clamasse, succurrite, succurrite,
 hic enim violenter ab altero invasus præsumitur.

CXVII.

Consequentia sunt à parte occisoris, præsentatio coram Judice
 statim à factâ cade: Unde adeo potens oritur præsumtio, ut reliquas
 omnes infirmet. Huic contraria est fuga, quæ & ipsa non modicum,
 adversus reum præbet indicium; nisi per sequentem spontaneam
 præsentationem purgetur. Nihil tamen importat præjudicij, si ali-
 quâ causâ colorari possit: Velut si quis dicat, se evitandæ Judicis
 fævitæ causâ fugisse, vel ob metum iniquæ incarcerationis, vel ne
 ab occisi consanguineis, & amicis repercutiatur.

CXVIII.

Consequens ex parte occisi est, confessio & exculpatio, à letha-
 liter vulnerato, in agone mortis facta, quâ, de suâ culpâ, & rei inno-
 centiâ testatur: Quæ parit præsumtionem omnibus alijs fortio-
 rem. *l. 2. Ad Syllan.* licet antea reum, etiam juratò, inculpasset idem. Eius
 tamen *ἐνέργεια* non tanta, ut purget illum, de cujus dolo plenè jam
 constat.

CXIX.

Inculpatio contra ejusdem, in ipso mortis articulo, facta, pa-
 rum operatur *l. 3. §. 1. Ad Syllan.* sed modicam tamen excitat suspi-
 cionem.

CXX.

Ex personarum qualitate sumuntur etiam conjecturæ: Quali-
 tates autem sunt corporis, vel animi. Corporis: Ut ætas, pro sene
 etiam præsumitur contra juvenem: Sexus, pro fæmina contra marem;
 nisi fæmina sit ferox, & plusquam virili pollens audaciâ, mas contra
 timidus & mulierosus *P. H. D. art 144.* Robur & agilitas corporis,
 exercitium & peritia armorum, ex quibus similiter præsumtiones su-
 muntur.

Quali-

CXXI.

Qualitatum animi maxima habetur ratio: Si quis vir bonus, pacificus, non temerarius, circumspectæ vitæ, illibata famæ, aut contra fuerit: Antea acta enim vita in jure semper attenditur. *l. 3. §. 12. l. 5. §. 6. De remil. Nov. §. c. 2. v. s. vero is c. semel malus. De R. I. in 6.*

CXXII.

Harum præsumtionum aliæ alijs fortiores: Quæ si vel omnes, vel pleræq;, constanter & fortiter pro reo faciant contra occisum, defensio satis probata intelligitur, reusq; absolvendus erit *P. N. D. art. 143. §. daraufâ facta.* Sin ita urgentes non sint, ad jusjurandum admitti reum posse, multi statuunt, ita ut se ab altero insultatum provocatumq; esse juret.

CXXIII.

Post probationem insultus, ab occiso facti, accusatori replicandi via præclusa non est, si is, in defensione, non servatum inculpatæ tutelæ moderamen, demonstrare velit *P. N. D. art. 142. §. solch obgemelt.*


CXXIV.


Sed si nec defensio à reo, nec dolus malus ab actore probatus fuerit, quæritur, quâ panâ afficiendus sit reus? Tormenta forte an adhibenda erunt, quanquam & horum fallax probatio *l. 1. §. 17. §. 23. De quest.* Vel extra ordinem coercendus reus, non ordinariâ panâ plectendus: Reus enim actore favorabilior *l. 125. De R. J.* Ubi autem res dubia, in benigniorem partem inclinandum *l. 129. cod. Re-*ctius igitur facit, qui nocentem absolvit, quam innocentem condemnat *l. 5. pr. De pan.* Unde perelegans Chrysoptomi dictum: Melius est propter misericordiam reddere Deo rationem, quam propter crudelitatem *c. allegant. 26. q. 7.* Quod dignum videtur, in quo subsistamus, ac disputationis postreæ filum abrumpamus.

CXXV.

Restat, ut ad has nostras theses, non manuariâ vi, non violentâ manu, amicâ sed mente, sed linguâ, oppugnandum provocemus, seu, quod blandius, invitemus, omnes justitiæ, veritatis, nostri amantes, Habebunt nos ad defendendum pro viribus, sed &, si res postulabit, ad cedendum paratos: Nec enim pigebit, ubi hasitamus, quarere; nec pudebit, ubi erramus, discere.

Augustinus.





the scale towards document

CXV.

endenda antecedentia, connexa, consequentia. nam habuerit lucri spem ex morte, aut damnis: Quisnam alteri struxerit insidias: Quis cuius minatus fuerit.

CXVI.

locus, tempus, vulnera, arma, clamor: Ubi viribus, & ad nocendum aptioribus armis, praeparatus fuerit: Majore, quam solitus, consuetudinis fuerit clamasse, succurrite, succurrite, altero inuasus praesumitur.

CXVII.

ante à parte occisoris, praesentatio coram Iudice. Inde adeo potens oritur praesumptio, ut reliquas contraria est fuga, quae & ipsa non modicum, indicium; nisi per sequentem spontaneam agatur. Nihil tamen importat praedictum, si alio modo: Velut si quis dicat, se evitandae Iudicis, vel ob metum iniquae incarcerationis, vel ne periret, & amicis reperiatur.

CXVIII.

parte occisi est, confessio & exculpatio, à lethali morte facta, quae, de sua culpa, & rei innocentiae parit praesumptionem omnibus alijs fortiorem, etiam reum, etiam jurato, inculpasset idem. Eius praesentia, ut purget illum, de cuius dolo plene iam

CXIX.

praesentia ejusdem, in ipso mortis articulo, facta, parit. Ad Syllan. sed modicam tamen excitat suspitionem.

CXX.

qualitate sumuntur etiam conjecturae: Qualitatis, vel animi. Corporis: Ut aetas, pro senectute juvenem; Sexus, pro femina contra marem; & plusquam virili pollens audacia, mas contra mulierem. P. S. D. art 144. Robur & agilitas corporis, armorum, ex quibus similiter praesumptiones sumuntur.

Quali-